

<http://notker-balbulus.leperlily.org>

Notker Balbulus
Liber Ymnorum

Prooemium
[N.02]

Cum adhuc iuvenulus essem et melodiae longissimae, saepius memoriae commendatae, instabile corculum aufugerent, coepi tacitus mecum volvere, quonam modo eas potuerim colligare.

Interim vero contigit, ut presbyter quidam de Gimedia, nuper a Nordmannis vastata, venire ad nos, antiphonarium suum deferens secum: in quo aliqui versus ad sequentias erant modulati, sed iam tunc nimium vitiati. Quorum ut visu delectatus, ita sum gustu amaricatus. Ad imitationem tamen eorundem coepi scribere: *Laudes deo concinat orbis universus, qui gratis est redemptus*, et infra: *Coluber Adae deceptor*. Quos cum magistro meo Isoni obtulissem, ille studio meo congratulatus imperitiaeque compassus, quae placuerunt laudavit, quae autem minus, emendare curavit dicens: Singulae motus cantilena singulas syllabas debent habere. Quod ego audiens, ea quidem quae in *ia* veniebant, ad liquidum correxi: quae vero in *le* vel *lu*, quasi impossibilia vel attemptare neglexi, cum et illud postea usu facillimum deprehenderim, ut testes sunt "*Dominus in Syna*" et "*Mater*". Hocque modo instructus, secunda mox vice dictavi: *Psallat ecclesia mater illibata*.

Quos versiculos cum magistro meo Marcello praesentarem, ille gaudio repletus in rotulas eos congescit; et pueris cantandos aliis alios insinuavit. Cumque mihi dixisset, ut in libellum compactos alicui primorum illos pro munere offerrem, ego pudore retractus numquam ad hoc cogi poteram.

Nuper autem a fratre meo Othario rogatus, ut aliquid in laude vestra conscribere curarem, et ego me ad hoc opus imparem non immerito iudicarem, vix tandem aliquando aegreque ad hoc animatus sum, ut hunc minimum vilissimumque codicellum vestrae celsitudini consecrare praesumerem. Quem si in eo placitum vestrae pietati comperero, ut ipsi fratri meo apud domnum imperatorem sitis adminiculo, metrum quod de vita sancti Galli elaborare pertinaciter insisto, quamvis illud fratri meo Salomoni prius pollicitus fuerim, vobis examinandum, habendum ipsique per vos explanandum dirigere festinabo.

Notker Balbulus
Liber Ymnorum

Monasterium Sancti Galli
881 – 887

<http://notker-balbulus.leperlily.org>
